

1509 in agro Patavino amittant, tantam non esse, ut rem publicam periclitari malint, si amantes patriæ sint: quod si alia mens eorum est, non esse in civium habendos loco, qui rem publicam sua potiorem charioremque non habeant: majores ipsorum opes suas maritimis auxisse rebus, atque imperium longe latetque ea tantum ratione promovisse: si ad illum unum maris exercendi morem atque consuetudinem redeundum sit, bene cum ipsis fortunam agere, omnes recte sentientes existimaturos, quod quæ artes imperio constituendo profuerunt, eisdem etiam usquequa vel crescat propageturque artibus imperium, vel optime tutissimeque retineatur. Cum ea ita se habeant, tamen Taurisum Forumque Julii adbuc quidem in reipublicæ ditione contineri: ea ne amittantur, magis providendum ipsis esse, quam ut aliquid acquiratur: id autem facile fieri moderatione, si iis contenti sint: neminem enim jam reipublicæ magnopere invidere illam partem. quod si Patavium receperint, verendum in primis esse (dicat ne, an sileat? sed non silebit, quæ prævisa omnibus multumque cogitata debent esse) ne cum fines in continente reliquos amiserint, urbs quoque ipsa parens altrixque civitatis, de qua paulo ante ipsi non obscure timuerint, in hostium suorum potestatem, quod Dii omen obruant, redigatur: sëpe enim accidisse, ut qui nimia pertinacia in iis, quibus carerent, appetendis rebus essent, etiam earum quas habebant, quibusque pacate frui poterant, amissione plecterentur, suæque eos intemperantiae vehementer pœniteret. Hac oratione ab Laureiano habita, plerique magistratus in ejus facile sententiam abierunt: pauci cum Molino, rei bene gerendæ occasionem non esse amittendam, perseveraverunt: nonnulli tam dubia in re, quid probarent & eligerent, prope ipsum se nescire fatebantur.

Itaque magna inter eos altercatione orta, cum finis rei nullus reperiatur, Molinus ad Senatum conversus ejusmodi orationem habuit: Non tam se quidem ea re angi ac dolore confici, quod hoc tempore fortuna, quæ plerumque res humanae administrat, plures potentioresque quam unquam antea hostes in rem publicam armaverit: fato enim id, necessitateque acci-